

mittendo casus Cœnæ, non committere absolutionem ab hæresi, nisi in specie id declaret; ergo idem dicendum est de commissario Pontificis. Unde Episcopus, verbi gratia, committens alicui casus suos, non videtur committere absolutionem, verbi gratia, a censura canonis *Si quis suadente*, pro illis casibus, in quibus ipsi in jure committitur, quia illi non sunt proprie casus Episcopales, ut alibi diximus. Ut ergo Prælati religionis censeatur committere hos casus Pontificios, oportet, ut vel in specie eos exprimat juxta uniuscujusque exigentiam, vel, si utatur generalibus verbis, quod talia sint, ut omnem tollant ambiguitatem; ut si dicat, verbi gratia, concedere omnes facultates suas, vel quantum per privilegia potest, aut quid simile. In quo etiam observare oportet, ut distincte explicetur an concedatur potestas absolvendi a culpis, vel etiam a censuris; nam hæc duo diversa sunt. Verum est in casibus Pontificiis ita esse conjuncta, ut, uno concesso, alterum concessum esse intelligatur. Videantur dicta in 4 tomo, disp. 30, sect. 1.

## CAPUT XXIII.

AN NON SOLUM IN RELIGIONIS PRÆLATIS, SED ETIAM IN EPISCOPIS SIT PRÆDICTA POTESTAS AD ABSOLVENDUM RELIGIOSOS.

1. *Ex vi privilegiorum regularium non habent Episcopi hanc potestatem.* — *Triplex casus proponitur, in quo videntur habere Episcopi talem potestatem.* — In hac quæstione imprimis certum est non convenire Episcopis hanc potestatem ex vi privilegiorum ipsorum regularium, cum in eis nulla de Episcopis fiat mentio, sed potius ab eorum jurisdictione eximantur. Loquimur enim de exemptis, nam circa regulares sibi subjectos, clarum est posse Episcopos quidquid in hoc genere possunt jure communi, et si quid amplius per privilegia Pontificia talibus religiosis fuerit concessum respectu suorum Prælatorum, nam Episcopi sunt proprii illorum Prælati, quod munus non habent respectu exemptorum. Solum ergo habere potest locum dubitatio posita in duobus vel tribus casibus: primo, in nonnullis casibus, in quibus jure communi scripto seu canonico possunt Episcopi absolvere a casibus alias Pontifici reservatis, ut a leviori læsione clerici, c. *Monachi*, et c. *Cum illorum*, de Sentent. excommunicat. Secundum est de aliquo casu necessitatis, in quo

propter difficilem recursum ad Pontificem censeatur tacito jure, et recepta consuetudine, facta commissio Episcopo, quæ necessitas potest interdum in religioso exempto occurrere. Tertium est de Prælato religionis, qui non potest absolvere seipsum, neque habet alium a quo possit commode absolvi; nec debet esse pejoris conditionis: poterit ergo ab Episcopo absolvi.

2. *Quorundam placitum in primo casu, et eorum fundamentum.* — *Contrarium verius.* — *Ejus fundamentum.* — Circa primum casum, quidam putant quod, licet religiosus exemptus possit in illis casibus absolvi a suo Prælato, nihilominus posse etiam absolvi ab Episcopis, si velit; quia, licet Pontifex concesserit illam potestatem Prælati religionis, non abstulit Episcopis; ergo liberum est religiosis, si velint, eis subjici quoad hanc absolutionem. Nec videtur obstare exemptio, quia hæc videtur esse a jurisdictione coacta, non a voluntaria. Item videtur esse in his quæ spectant ad gravamen, non in his quæ ad favorem; est autem major favor religiosi quod a pluribus Prælati possit absolvi. Atque ita opinati sunt Fredericus de Senis, consil. 14, et Joannes de Lignano, in Clemen. *Ne in agro*, de Statu regularium, et alii, quos Sylvester citat. Contrariam sententiam tenet Abbas, in c. *Monachi*, de Sentent. excommunicat., num. 4, ubi refert Joannem Andream, et seipsum in aliis locis; quos sequitur Sylvester, verb. *Absolutio*, 5, n. 2. Fundamentum est, quia religiosus exemptus non tantum eximitur a jurisdictione fori contentiosi, sed etiam a jurisdictione fori pœnitentialis; nam hac ratione non potest confiteri Episcopo sine licentia sui Prælati, ut supra visum est; ergo in neutro foro potest Episcopus absolvere religiosum, quantumvis ipse se illis subjiciat. Et confirmatur, quia exemptiones privilegii non in favorem privatam religiosi, sed in favorem totius religionis concessæ sunt, et in favorem etiam Prælatorum ejus; ergo nullus religiosus potest in hoc cedere juri suo, nec sibi judicem constituere extra Prælatos suos, juxta c. *Significasti*, de Foro compet. Atque hæc sententia plane videtur in rigore juris vera, et, per se loquendo, ac suppositis religiosorum privilegiis omnino servanda.

3. *Quomodo posset procedere prius placitum.* — *Favet ei jus.* — *Ad fundamentum in num. 2.* — Dico autem suppositis privilegiis, quia si Prælati religiosorum non haberent potesta-

tem absolvendi suos subditos ab aliquo casu reservato Papæ, et alias concesso Episcopis, in eo casu probabilem censerem primam sententiam. Exemplum esse poterat in facultate absolvendi a casibus occultis concessa Episcopis in Concilio Tridentino; nam si illa non fuisset extensa ad Prælatos religionum, posset, ut opinor, religiosi absolvi ab Episcopis, quia non debent esse deterioris conditionis; et rationabiliter interpretamur non esse exemptos, nisi in his, in quibus subduntur jurisdictioni suorum Prælatorum. Si enim in foro exteriori non possent de aliquo delicto judicari a suis Prælati, profecto eo ipso non censerentur in illa causa exempti a jurisdictione Episcoporum, quia non debent sine ordinario iudice relinqui. Potestque hoc non improbabiler colligi ex c. *Si Papa*, de Privilegiis, in sexto; ergo idem cum proportionem in absolutione a censuris locum habet. At vero nunc, quia tota jurisdictio Episcoporum ad absolvendum a censuris, etiam eis jure commissa circa Pontificios casus, commissa est Prælati regularibus per privilegia perpetua, non possunt religiosi, per se loquendo, in talibus casibus ab Episcopis absolvi, quia prorsus exempti sunt, et quia Prælati religionum merito possunt respectu suorum subditorum sibi tales casus reservare, quia illis iudicium eorum commissum est, et in favorem ipsorum, ut plane significavit Pius V, in Motu proprio, quo Prælati Prædicatorum concessit facultatem illam Concilii Tridentini, cum ait: *Nec Prior conventualis, et superiores Prælati dicti ordinis in hac parte deterioris conditionis existant.* Nec fundamentum contrariæ sententiæ tunc habet vim, quia sufficienter provisum est religiosis, et illa major licentia, licet videatur favor privatæ personæ, non tamen religionis; et fortasse etiam respectu privatorum non esset favor in ordine ad eorum spirituales profectum; nam inde fortasse sumerent licentiam peccandi.

4. *Secundus casus.* — *Impugnatur quoad casum necessitatis non extremæ.* — Circa secundum casum necessitatis, in quo religiosus non potest adire Prælatum suum, potest autem convenire Episcopum, Sylvester supra, numero 3, affirmat cum Panormitano, in eo casu posse religiosum absolvi ab Episcopo ex æquitate, licet non possit de rigore juris. Per æquitatem autem intelligit epikeiam, ut Panormitanus expresse declarat. Itaque intelligunt, ex vi legis et exemptionis in rigore

sumptæ non posse; ex quadam tamen interpretatione voluntatis Pontificis posse, ne religiosus in eo casu sit deterioris conditionis quam seculares, quod videtur esse contra intentionem eximentis. Sed difficile mihi est, in materia jurisdictionis, et in lege irritante actum, hujusmodi epikeiam admittere extra casum extremæ necessitatis; hæc autem materia jurisdictionis est, sine qua non potest Episcopus absolvere religiosum: lex etiam quæ vetat exercere jurisdictionem circa personam exemptam, est irritans actum, ut constat ex juribus citatis, et ex c. *Frater*, 16, quæst. 1; ergo extra casum extremæ necessitatis, id est, periculi mortis, non possumus hanc licentiam Episcopo dare. Dicit enim Concilium Tridentinum, sessione 14, capite 7, loquens de casibus reservatis, extra illum articulum inferiores sacerdotes nihil posse; vocatur autem inferior sacerdos respective omnis ille, qui est inferior comparatione reservantis, et ab illo non habet commissam facultatem; ita vero se habet Episcopus in eo casu respectu religiosi exempti, quia et est inferior Papa reservante, et ab illo non habet commissionem ordinariam, ut supponimus; ergo nec ex interpretatione possumus illam admittere, nisi in periculo mortis, juxta doctrinam Concilii. Alias pari ratione possemus dicere, posse nunc Episcopum absolvere in simili casu clericum sibi non subditum, solum, quia habet difficilem recursum ad suum Prælatum, quod plane videtur falsum, quia illa difficultas non præbet alteri jurisdictionem. Similiter etiam posset Episcopus absolvere religiosum in casu in quo recursum habet ad suum Prælatum, et illi injuste negat absolutionem; quod etiam non videtur admittendum, quia injustitia unius Prælati, ut cap. 19, num. 21, diximus, non dat alteri jurisdictionem, quando subordinati non sunt. Alioqui aperiretur via, ut in similibus casibus religiosi quasi appellent a suis Prælati ad Episcopos, quod magnum incommodum est, et contra intentionem eximentis.

5. *Vera hujus casus decisio.* — Dico igitur, non videri necessariam hanc interpretationem ad favorem religiosorum, sed per generales et communes regulas casuum reservatorum posse illis sufficienter subveniri absque ulla epikeia, quæ admittenda non est, nisi ubi manifesta necessitas urget; hic autem nulla erit necessitas, si aliter potest sufficienter subveniri necessitati religiosi. Quod autem possit, declaro ex generali principio in

jure fundato, quod posui in 4<sup>to</sup> tomo tertiæ partis, disputatione 30, sectione 3, scilicet. in casibus Pontificiis, quoties non patet aditus ad Summum Pontificem vel commissarium ejus, nisi cum magna difficultate et mora, tunc posse peccatorem absolvi ab inferiori sacerdote cum onere comparendi coram Pontifice, vel habente jurisdictionem ab illo circa tales casus respectu talis personæ. Hoc ergo principium censeo in præsentem esse applicandum. Quando enim religiosus non habet facilem aditum ad suum Prælatum, absolvi quidem poterit ab alio, non tamen ita ut maneat omnino liber a reservatione, sed ut absolvatur cum onere comparendi coram Summo Pontifice, aut coram suo Prælato, qui respectu sui vices illius gerit. Hoc enim satis est ad subveniendum necessitati religiosi, et aliunde servatur rigor reservationis, et debita subjectio ad Prælatum. In eo autem casu non est necessarium ut religiosus recurrat ad Episcopum, quia a quolibet sacerdote, a quo potest absolvi a culpis mortalibus, poterit pro tunc absolvi a tali censura, quia non absolvitur simpliciter, sed cum onere comparendi; sicut posset ex sententia omnium absolvi, quando etiam ad Episcopum esset difficilis accessus; idem autem est quamvis sit facilis, quia ad absolvendum cum illo onere non habet majorem facultatem Episcopus respectu personæ sibi non subditæ, quam ordinarius confessor. Et ex hac parte hic modus absolutionis cedit in majorem favorem religiosi, quia facilius absolvi poterit, et ita melius poterit onus comparendi tolerare, præsertim quia nullum est jus quo possimus illum eximere a tali onere, quod secum affert reservatio, quando potestas absolvendi solum datur occasione talis difficultatis vel necessitatis.

6. *Confirmatur amplius.* — Tandem confirmatur hoc et declaratur, quia Prælatus regularis, quando mittit subditum ad peregrinandum, potest illi dare facultatem eligendi confessorem, a quo possit absolvi etiam a casibus Papæ reservatis, sub onere comparendi coram se. Tunc ergo, si talis religiosus incidat in censuram canonis *Si quis suadente*, in eo loco, ubi non potest recurrere ad Prælatum absentem, non potest recurrere ad Episcopum, ut ab eo simpliciter absolvatur sine onere comparendi coram suo Prælato, quia tunc jam habet sufficientem judicem, seu confessorem a suo Prælato designatum, nec est recurrendum ad jurisdictionem interpretativam, ubi expressa et sufficiens haberi potest;

at vero quamvis Prælatus expresse non declarat illam voluntatem, ex ipso communi jure satis explicatur. Relinquitur ergo solum Prælatum regularem habere hanc jurisdictionem in religiosos exemptos sub Pontifice Summo, nisi in casu extremæ necessitatis, in quo nulla est reservatio.

7. *Tertius casus.* — *Prælati religiosi etiam absolvi possunt intra religionem per ejus privilegia.* — *In quibus sacerdotibus sit talis potestas ordinarie.* — In tertia autem interrogatione seu casu petitur, quid dicendum sit de ipso Prælato religionis. Quæ difficultas magis pertinet ad caput sequens, de his qui per hanc potestatem absolvi possunt. Nam certum est, absolutionem Prælati religiosi in his casibus non pertinere ad Episcopum, tum quia non minus est exemptus quam reliqui; tum quia non minus potest absolvi per privilegia religionis, quia non debet esse deterioris conditionis, cum sit principale membrum ejus, et privilegia generaliter pro omnibus dentur. Igitur, si juxta communem usum præcise loquamur, potestas absolvendi ab hujusmodi censuris Prælatum conventualem est apud Provinciale, et respectu Provincialis apud Generalem, nam unusquisque solum pendet a suo proximo Prælato, et quando privilegia concedunt hanc facultatem Prælatis, intelligenda sunt respective, scilicet, illis Prælatis, vel illi Prælato, quos, vel quem unusquisque religiosus habuerint; Generalis vero, quia intra religionem non habet superiorem Prælatum, sed solum generale capitulum, absolvi poterit ab illo confessore, cui capitulum suas vices commiserit.

8. *De modis aliis non tam ordinariis habendi hanc potestatem erga Prælatos.* — Quod si capitulum ipsum nihil circa hoc obligaverit, eo ipso poterit Generalis eligere confessorem cum omni potestate quam privilegia concedunt; quia non superest alius modus quo possit ipse Generalis passive frui hujusmodi privilegiis, quibus privari non debet. Estque ille modus consentaneus juri communi, in cap. ult. de Pœnitent. et remiss. Quin potius in multis religionibus observari intelligo, ut etiam Provinciales et conventuales Prælati eodem modo sibi eligant confessores cum omnibus facultatibus, quas ipsi possunt suis subditis communicare. Quod fieri potest, vel quia in ipsa religione ita specialiter et positive (ut sic dicam) ordinatum est, quod sine dubio fieri potest, vel etiam consuetudine recipi, aut certe quia contrarium

ordinatum non est; quod censeo etiam sufficiens. Quia ex privilegio dicti capituli ult. de Pœnitent. et remiss., hi Prælati possunt sibi eligere confessorem præter licentiam suorum Superiorum, ut dixi in 4<sup>to</sup> tom., disput. 27, sect. 2, dub. 5, et nunc in confirmationem eorum quæ ibi dixi, expendo illam particulam, *præter suorum superiorum licentiam*; non enim dicit contra eorum ordinationem aut voluntatem, sed solum præter, id est, absque eorum licentia, et quando illi non provident alio modo de ordinario confessore; qui est casus de quo loquimur. Deinde confessor, sic electus, eo ipso habet circa talem Prælatum omnes facultates Pontificias, sive hoc sit quia ab ipso potest communicantur, sicut Papa eligendo confessorem dat illi jurisdictionem in seipsum, sive (quod verius existimo) quia virtute privilegiorum immediate ei conferuntur, eo quod vices gerit superioris Prælati in eo munere.

9. *Quid ubi duo tantum sunt sacerdotes, Prælatus et subditus, amboque excommunicati.* — Hic vero occurrere potest casus, in quo in religioso conventu tantum sint Prælatus et alius sacerdos, et ambos incurrisse in censuram reservatam Pontifici, ut, verbi gratia, per mutuam rixam, in censuram canonis *Si quis suadente*, quomodo possint absolvi; quia tunc nec Prælatus potest absolvere subditum, cum ipse sit excommunicatus, neque etiam potest illum eligere in confessorem, quia similiter ligatus est; quid ergo in eo articulo facient? Quidam, ut Emmanuel Rodriguez, tom. 1, q. 20, art. 12, citans Joannem Fabianum, verb. *Absolutio*, 2, § 6, et alii, respondent, ob necessitatem posse tunc mutuo absolvere, quia necessitas caret lege. Item, quia excommunicatus potest in casu necessitatis absolvere a peccatis; ergo et a censuris. Quod si in praxi sequenda esset hæc sententia, deberet Prælatus prius absolvere subditum, et jam ille absolutus, esset idoneus minister ad absolvendum Prælatum.

10. *Limitanda dicta responsio ad casum occultum.* — Indiget tamen, ut opinior, illa sententia magna declaratione et limitatione. Et imprimis, si neuter illorum est nominatim excommunicatus, vel si censura fuit canonis *Si quis suadente*, et delictum est occultum, videtur Prælatus posse absolvere subditum, quia nondum est omnino privatus jurisdictione et communicatione cum illo, saltem in bonum subditi. Dices: hoc haberet locum, si subditus non esset etiam excommunicatus;

quia vero excommunicatus supponitur, non videtur posse uti favore Extravag. *Ad evitanda*. Respondeo: etiam licet subditus excommunicatus sit, Prælatus non est jurisdictione privatus in suos subditos, quantum est ex se; licet autem talis subditus excommunicatus sit, non peccat petendo a Prælato absolutionem, quia illa communicatio cum sit ordinata ad bonum animæ, et ad se liberandum a censura, non est prohibita ex vi suæ excommunicationis; neque etiam propter Prælati excommunicationem prohibetur ratione Extravag. *Ad evitanda*, et ideo in eo casu non dubito quin, servato hoc ordine, licite petatur et detur absolutio.

11. *Quando casus est publicus, neuter in alterum habet potestatem.* — *Quo remedio tunc sit utendum.* — Urgendo tamen casum, ita ut delictum sit publicum, cessat hoc remedium, et tunc non censeo statim esse dandam licentiam Prælato absolvendi subditum, vel e contra, cum hoc sit contra rationem factam, et contra jura, argum. c. *Audivimus*, 24, q. 1, et c. *Prudentiam*, § 6, de Offic. deleg., et c. *Duobus*, de Sentent. excommunicat., per argumentum a contrario; ibi enim dicitur, duos habentes facultatem sese invicem absolvendi, si ambo in excommunicationem minorem incidant, non privari dicta potestate, nec usu ejus, ut recte glossa exponit, quia excommunicatio minor privat receptione Sacramentorum, non usu jurisdictionis; ergo de excommunicatione majori contrarium tacite exponit, quia hæc privat usu jurisdictionis; et ita sentiunt ibi glossa et Doctores. Quapropter in eo casu Prælatus extra religionem debet eligere alium sacerdotem habilem, ut ab eo absolvatur, et postea ipse absolutus poterit absolvere subditum. Dico autem Prælatum debere hoc facere, quia subditus non habet hanc facultatem; neque ipse Prælatus, dum excommunicatus est, potest illam concedere, ut alibi dixi.

12. *Instantia contra id remedium diluitur.* — *Replica removetur.* — *Ultima instantia hujus casus publici.* — Dices: ergo nec ipse potest eligere sibi confessorem. Respondetur negando consequentiam, quia dare licentiam subdito ut eligat confessorem, est actus jurisdictionis, cujus usu privatus est excommunicatus; eligere autem confessorem non est usus jurisdictionis, sed cujusdam privilegii, quo non privatur excommunicatus. Dices, cum Prælatus eligit confessorem, committit illi jurisdictionem suam, ut illa circa se uta-

tur; ille autem videtur esse actus jurisdictionis. Respondeo: non ipse committit, sed Pontifex, vel superior Prælati virtute privilegiorum, ut supra, in fine n. 8, dictum est. Sed instabit aliquis, fingendo casum, in quo non sit copia alterius sacerdotis secularis, vel alterius religionis qui eligi possit. Respondeo, in eo casu ita se habere quemlibet illorum ac si esset solus, et non haberet copiam confessoris, extra casum articuli mortis, quia excommunicatus vitandus extra hunc articulum non habet usum jurisdictionis; in illo autem articulo possunt se invicem absolvere a peccatis, et ratione illorum etiam a censuris, ut in 4 tomo generaliter dictum est.

## CAPUT XXIV.

AD QUAS PERSONAS ABSOLVENDAS EXTENDANTUR  
HÆC PRIVILEGIA.

1. *Prima assertio pro professis et similibus.* — Hoc est tertium punctum superius in fine capitis 20 propositum. In quo imprimis certum est, talia privilegia posse habere effectum circa omnes professos talis religionis, quia pro illis maxime conceduntur hæc privilegia. Quia vero privilegia hæc concedi solent sub his verbis, ut Prælati possint absolvere subditos suos, oriebatur dubium de ipsis Prælati. Sed hoc jam expeditum est in fine capitis proxime præcedentis; nam illi etiam sunt subditi vel superioribus Prælati, vel saltem ipsi religioni. Oriebatur deinde dubium speciale de scholaribus, et Coadjutoribus Societatis, qui non sunt professi. Sed nullam habet rationem dubitandi, tum quia sunt veri religiosi et regulares, sub quibus vocibus solent hæc privilegia concedi; tum etiam quia eorum incorporatio et vota sub nomine professionis comprehenduntur, præsertim in favorabilibus, ut infra, tractatu 10, lib. 3, cap. 5, ostendam; tum denique quia Pius V et alii Pontifices expresse illis communicant hæc privilegia.

2. *Secunda assertio pro peregrinis.* — Secundo dicendum est, hanc facultatem extendi non tantum ad proprios religiosos subditos, sed etiam ad hospites, seu peregrinos qui jure hospitii possunt ab eis sacramentaliter absolvi<sup>1</sup>. Probatur primo ex ipsis privilegiis; sæpe enim expresse nominant hospites, nam

<sup>1</sup> In lib. Monum. Ordinum, concess. 318 et 340, sic.

Clemens IV in privilegio citato inquit: *Nec non fratribus aliis ejusdem ordinis interdum ad eos declinantibus undecumque.* Alia vero privilegia indefinite loquuntur de suis monachis, aut religiosis, unde convenienter intelliguntur de illis, qui ab unoquoque Prælati sacramentaliter absolvi possunt, quia hæc privilegia, ut dicemus, ad forum conscientie præcipue ordinantur. Et licet aliqua privilegia loquantur de subditis, recte etiam exponuntur de subditis in foro conscientie secundum præsentem statum. Secundo probatur ex quadam declaratione Cardinalium, ad cap. *Liceat*, sess. 23 Concilii Tridentini, quæ habet, forenses, dum versantur in aliquo Episcopatu, posse absolvi a casibus occultis ab Episcopo loci per facultatem ibi concessam; ergo similiter religiosus hospes absolvit poterit per facultates religionis a Prælati illius loci, in quo tanquam hospites degit; ibi enim se habet tanquam forensis, et militat in eo eadem ratio.

3. *Peregrinis absolutio, non dispensatio danda.* — Est autem notanda differentia quæ ibi assignatur inter dispensationem et absolutionem; nam de dispensatione dicitur non posse dari homini forensi ab Episcopo loci per illam facultatem Concilii, sed petendam esse a proprio Episcopo; absolutio autem dicitur posse dari ab Episcopo loci. Et ratio insinuat, quia absolutio solum conceditur in ordine ad forum sacramentale, et ideo sicut sacramentum Pœnitentiæ ministrandum est in præsentia pœnitentis, ita et hæc absolutio, per se loquendo, danda est ab Episcopo præsentem, ideoque Episcopo loci commissa censetur; dispensatio autem postulari potest ab Episcopo absente, et ideo semper reservatur proprio Prælati et Episcopo. Juxta quam doctrinam in proposito etiam observandum erit, quia in multis eorum et dispensandi et absolventi facultas committitur, absolutionem semper extendi ad hospites, non vero dispensationem, nisi in ipso privilegio Clementis IV, nam immediate post citata verba subdit: *Absolutionem vel dispensationem indigentibus.* Secunda autem expressa concessione, est illa doctrina valde probabilis, tum propter auctoritatem Congregationis, ejusque rationem; tum etiam quia absolutio a censura conceditur hospitibus, quia est necessaria ad absolutionem a culpa, quæ differenda non est, ne propter dilationem pœnitentiæ, periculum imminuat animarum, ut dicitur in cap. ult., de Pœnit. et remiss.; dispensatio autem non est necessaria ad ministerium pœnitentiæ, nec

ad salutem animæ, unde differri potest, et reditus ad Prælatum expectari, vel ab absente postulari.

4. *Locus ex declaratione Cardinalium diffinitis.* — Unum vero aliud insinuat in illa doctrina, quod, si verum est, satis singulare est, scilicet, per facultatem absolvendi a censuris, concessam tantum in foro pœnitentiæ (qualis est illa Concilii Tridentini), non posse absolutionem etiam a censura dari absentem, quia debet dari in Sacramento Pœnitentiæ, unde ibi expresse exponitur, Concilium loqui de absolutione sacramentali. Sed hoc receptum non est, quia videtur nimia restrictio privilegii et facultatis, sine cogente ratione. Unde multi putant posse Episcopum ex vi Concilii per seipsum absolvere a censura hæresis occultæ monialium, vel aliam impeditam personam absentem, quia nec facultatem potest delegare, ut Concilium indicat, quamvis Corduba in Summ. Hispan., quæstione 8, et alii aliter exponant; nec cogendus est Episcopus ad pœnitentem impeditum accedere, ut illum absolvat, nam data absolutione a censura, tollitur reservatio culpæ, et ita poterit a quocumque legitimo confessore absolvi. Sed quid in hoc sentiendum sit pro re de qua agimus, inferius explicabimus; vide interim Navarum, consil. 15, de Sentent. excommunicat., juxta primam impressionem; Emmanuel. Rodriguez, tom. 1, quæst. 20, articulo 11, in fine; Gutierrez, in Practicis quæstionibus, capite decimo tertio, numero vigesimo octavo.

5. *Tertia assertio pro novitiis.* — Hoc privilegio gaudent etiam ante susceptionem habitus volentes ingredi serio. — Dico tertio: hæc potestas absolvendi extenditur etiam ad novitios, qui virtute dictorum privilegiorum possunt absolvi: ita habetur expresse in multis privilegiis citatis, in quibus etiam explicatur, ut possint absolvi ab omnibus peccatis ante vel post ingressum commissis, et ab omnibus ecclesiasticis et secularibus sententiis, censuris, et pœnis, a jure, vel ab homine latis, ut refertur ex privilegio Sixti IV, in Compendio Societatis, verb. *Absolutio*, §6, ex Monumentis Minorum, et idem habetur in citato privilegio Clementis IV, et in aliis. Est autem advertendum, in eis non tantum concedi hanc facultatem pro novitiis, qui jam habitum susceperunt, sed etiam pro his qui ingredi volunt; quod etiam Paulus III concessit Societati in Bulla ultima, qui addit limitationem, quæ eisdem verbis in antiquis privilegiis con-

tinetur, scilicet: *Volentes ingredi Societatem, seu religionem, nisi mox ingrediantur, eo ipso in pristinas sententias, a quibus absoluti fuerint, reincidant, etiamsi super hoc induciæ eis a peccatis religionis concedantur.* Aliqui vero exponunt ut qui vult ingredi per professionem, possit ante illam absolvi, non vero ante ingressum per susceptionem habitus ad novitiatum. Indicat Vivaldus, 1 part. Summæ, tit. de Absolutione, num. 22. Sed prior expositio verior est, nam in privilegio prius dicitur, *volentes ingredi, etc.*, et postea, *ac eos qui post assumptum habitum, vel professionem emissam, recoluerint, etc.* Ita sentit D. Antoninus, referens idem privilegium, 3 part., tit. 24, in ultimis verbis. Et in Bulla Societatis evidenter constat sermonem esse de his, qui volunt ingredi, priusquam recipiantur. Unde hæc absolutio videtur concessa quasi præparatio ad ipsum ingressum, seu receptionem habitus. Ex prædicta vero limitatione constat, si quis postulet ingredi sine animo ingrediendi, solum ut absolvatur, absolutionem esse nullam; imo, nisi habeat animum ingrediendi et profitendi, saltem bona fide ingrediendo ad probandum cum animo profitendi, si justa causa ad illum mutandum non occurrerit. Unde in illo privilegio Societatis expresse dicit Paulus III: *Reincidunt in pristinas sententias, nisi mox ingrediant, et peccatis experientis secundum Constitutiones Societatis vota emittere parati sint*; ergo qui non habet hunc animum et bonam fidem, non consequitur absolutionem. Et idem est proportionaliter in aliis religionibus, nam eadem fere verba in privilegiis Mendicantium habentur.

6. *Quid de non perseverante?* — *Ingreddiens de facto, sed absque sua culpa non perseverans, non reincidit.* — *Secus de eo, qui ante vel post ingressum sua voluntate retrocedit.* — Sed quid, si quis sic absolutus bona fide suscipiat habitum religionis cum animo profitendi, postea non profiteatur absque culpa sua, quia vel a religione ejicitur, vel ex justa causa egreditur? Numquid reincidet in priores censuras? Communiter auctores affirmative respondent<sup>1</sup>, et non afferunt aliud privilegium, nisi vel Clementis IV et Pauli III. Sed ex illis obscure colligitur, nam Clemens solum ait: *Nisi mox ordinem intraverint*; et Paulus fere similia habet verba. Quæ intelligenda videntur de primo ingressu ad novi-

<sup>1</sup> Emman. Rodr., tom. 1, q. 3, art. 4, et q. 20, art. 21; Vivald. supra, n. 23 et 24.